

*Capitoli testamentari di Giorgio
Zaccaria, transunto e autenticazione*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Capitoli testamentari di Giorgio
Zaccaria, transunto e autenticazione*

1325-10-16

In nomine Domini Amen. Anno Incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo quinto, die sexto decimo mensis octobris, nonae inditionis apud Giracium. Regnante Serenissimo Domino nostro Rege Ruperto Dei gratia Inclito Ierusalem, et Sicilie Rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, Forcalquerii, ac Pedemontis Comite, Regnorum suorum anno septimo decimo feliciter amen.

Nos Gugliemus Prothospatarius iudex Civitatis Giracii, Nicolaus de Sancto Paulo Regius publicus Notarius per totum Iustitiariatum Calabrie ordinatus, et testes infrascripti ad hoc vocati, et specialiter rogati, presenti publico instrumentum notum facimus, et testamur. Quod testamentum olim in scriptis conditum per virum nobilem quondam Dominus Georgium Zaccaria de Giracio scriptum eiusdem mandato per manus mei predicti notarii, per nobilem mulierem Domina Genebram de Malgerio relictam ipsius quondam Domini Georgii, fuit exhibitum coram Venerabili predicto Domino Ioannicio Episcopo Geracensi, et Guglielmo Balderi Baiulo Civitatis Giracii eiusdem anni nonae inditionis, et nobis, ac vocatis, et presentibus iudice Ioanne de Thetis, Ioanne de Franchica, Nicolao de Amoroso, Domino Ioanne Archidiacono Giracense, Andrea de Squillacio primicerio Giracensi, Guglielmo de Papia, Nicolao Scorpio, et me notario subscripto in eodem testamento sigilla, et subscriptiones eorum, et aliorum in dicto testamento existentium recognoscentibus, una mecum notario suprascripto, ut ipsorum proinde, et mei dicti notarii sub iuramento ad Sancta Dei Evangelia more solito, corporaliter prestitis coram nobis iudice, et notario, et testibus subscriptis

ipsius iuramentum fide in hoc facto assertio patefecit. Cui Domine Genebre petitioni, ac aliorum quam plurimum legatariorum in ipso testamento contentorum, ibidem coram nobis, ac dDomino episcopo, baiulo, et testibus aliis subscriptis presentibus, facta fuit apertio, et publicatio testamento ipsius, mandato ipsorum Domini episcopi et baiuli, ac mei predicti iudicis procedente, qua publicatione et apertioni ipisus testamenti factis, ut moris est, viri nobilis Dominus Fulco Ruffus de Sinopolo, et Dominus Guglielmus Ruffus de Sinopolo fratres, in nostra presentia constituti rogaverunt. Nos ex parte Regia, nostram super hoc iudicis et notarii, officium implorando, ac testes subscriptis, ut cum que oporteat ipsos fratres ad eorum cauthelam, et fidem plenariam omnibus in iudicio, vel extra iudicium, ac etiam in Curia Secreti Calabrie faciendam, de Capitolis bonorum legator ipsis fratribus in testamento ipso, per Dominum Georgius suprascriptum, que vidimus contineri in testamentum eodem ad eorundem cauthelam pro eo quod originale ipsius testamenti penes ipsam Dominam remanebat habere publicum instrumentum ipsa Capitula in publicam formam transcribi, et redigi authentica dicti nostri officii diligentis faceremus. Quorum precibus iustis utpote annuentes, quia iusta petentibus, non est denegandus assensus. Praesentato, viso, et diligenter ostenso testamento eodem debitis solemnitatibus, et attestationibus communito, et dicta Capitula dictorum bonorum legatorum in eodem scripto testamento contenta, quia predictum testamentum scriptum per manu mei predicti notarii, ac ipsa Capitula in eo contenta, vidimus, legimus, et inspeximus diligenter in eorum prima figura non fore abrasa, abolita, vel cancellata, aut in aliqua eorum parte corrupta, vel

vitiata, et in prima et propria eorum figura existentia, et carentia omni vitio, et suspicione. Capitula ipsa sicut ibidem notata et scripta invenimus, nihil in eis per nos addito, diminuto, seu mutato, quod sensum immutet, nisi forte littera, vel sillaba, que sensum immutari non potest de verbo ad verbum in presentem publicam formam ad cauthelam exponentium predictorum eis et eorum heredibus suo loco, et tempore valitura, auctoritate dicti nostri officii duximus fiducialiter redigenda quorum Capitulorum tenor per omnia talis esse. Item lego nobilibus viris Domino Fulconi Ruffo de Sinopolo militi Terre Bubalini Domino, et Guglielmo Ruffo de Sinopolo fratribus consanguineis meis bona stabiliū infrascriptam videlicet Culturam una terrarum que dicitur de Manodendri, et Culturam mediam de Salvano, et Pantana que dicitur de Carda, et de Spillitra, et Culturam dictam de Salvano, et Culturam dictam de Mazzoma, et Culturam que dicitur de Scoleo, et Culturam et nemus quod dicitur de Carri, et nemus quod dicitur de Castro, et de Commuta, et nemus quod dicitur de Macreadenda cum vassallis dictorum bonorum et iuribus omnibus ad ipsa bona pertinentibus, que a Regia Curia tenes in quarterio grandi de tenimento Giracii, iuxta eorum limites, et confines sub annuo censu Unciarum [***] et tarenorum quindecim [***] et ordeī salmarum octo [***], ea tamen conditione opposita, quod me defuncto predicti Dominos Fulco, et Gulielmus dare debeant nobili Domine Genebre consorti mee ad ipsius requisitione auxilium et consilium in eius omnibus negotiis peragendis. Item lego dicto Guglielmo Ruffo de Sinopolo pheudum dictum Rugerii de Tarsia cum villanis et vassallis omnibus dicti pheudi, et aliis iuribus omnibus spectantibus ab ipsium pheudum,

quod pheudum habeo, teneo, et possideo in Terra et tenimento Castri Veteris, et Rocelle, salvo tributum servitio debito pro eodem pheudo Domino dictape Terrape Castro Veteris. Item lego eidem Guglielmus bona regalia omnia videlicet excadentiam dictam de Chrisilio quam teneo a Regia Curia in Terra, et tenimento Geracii, et Agrottarie, ubicumque, et quocumque loco, iuxta eorum limites, et confines cum vassallis, villanis, et aliis Iuribus bonorum dicte excadentie, salvo dicte Curie iure regalie debito pro bonis eiusdem excadentie per eundem Guglielmum tempore debito persolvendo. Fatemur insuper nos praefati iudex, notarium et testes subscripti, quod ad preces ipsius Domine Genebre et cauthelam, ac fidem omnibus faciendam, ac Secreto Calabrie in servienda in presenti istrumento subscriptum Capitulum contentum in ipso testamento, in quo ipsa Domina idem quondam Dominus Georgius dicit in bonis omnibus eundem Dominum Georgium aliis instituisse heredes, de verbo ad verbum nihil in eo addito, mutato, vel diminuto, quod sensum immutet, vel intellectum, nisi forte littera, vel syllaba, que sensum immutare non potest, in presente publicam formam, auctoritate dicti nostri officii, duximus redigendum, ut in eodem testamento scriptum vidimus, et notavimus. Cuius Capitoli tenor per omnia talis est. In omnibus autem aliis bonis meis tam mobilibus, quam stabilibus corporalibus, et incorporalibus, iuribus et actionibus, tam presentibus, quam futuris, heredum mihi instituo predictam Domina Genebram consortem meam.

2

3

In cuius rei testimonium, ac dictorum fratrum, ac dicte Genebre cauthelam, et ut de predicto originali ipsorum Capitulum fides plenaria fieri valet apud omnes factum est exinde presens publicum instrumentum scriptum et subscriptum per me notarium suprascriptum, signo meo solito signatum, nostrum qui supra iudices et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum dictorum fratrum, et dicte Domine Genebre petitionibus et rogatu. Actum anno, die, mense, loco, et inditione praemissis. † Ego Guglielmus Prothospatarius, qui supra iudex civitati Giraci testor. † Ego Guglielmus de Domino Hugone testor. † Ego Fulco Luciferus testor. † Ego Leo Domini Ugonis de Giracio testor. † Ego Nicolaus de Amoroso predicta testor. † Ego Ioannes de Franchica predicta testor. † Ego Ioannes Archidiaconus Giracii predicta testor. † Ego Andreas de Squillatio primicerius hiracensis predicta testor. † Ego Ioannes de Thetis predicta testor. † Ego Nicolaus de Sancto Paulo Regius publicus, qui supra notarius predicta scripsi, et me subscripsi.

Manca nel testo

Manca nel testo